

INTROITUS.

HOMO mundi intraturus theatrum quaeritur Quis sit:
Unde ortus? e stemmate Creationis; *Quo tendat?* ad
vitam beatam; *Quid hic?* intueri naturam; *Quo munere?*
CURIOSUM esse similemque quidem reliquis animantibus (quae
vorant, ludunt, pruriunt, generant, multiplicantur, dormiunt,
commoda stabula quaerunt, proximis sui generis inserviunt, vi-
tam tuentur, sentiunt, percipiunt,) sed nobiliorem, utpote qui
curiosius observat quae sensibus patent, indeque sapientius ratio-
cinando rite concludit, adeoque miratur pulchrum sapientis opus
Artificis. O quam contempta res est Homo, nisi supra humana
se exererit! Quid enim erat, cur in numero viventium positum
se gauderet? an ut Cibos et Potiones percolaret? ut hoc corpus
casurum peritumque farciret? quae tanta necessitas in fundum
telluris intimae hominem mersit, ut oblitus dierum, oblitus for-
tunae melioris, ab hoc se averteret? puto certe multos ad sa-
pientiam perventuros, nisi superbia magnae fortunae inflati, pu-
tassent se pervenisse. Sapiens utique est, qui fines respicit.

FINIS CREATIONIS EST GLORIA DEI EX OPERE NATURAE,
PER HOMINEM SOLUM.

Tanto igitur magis nosse Naturam operae pretium, quo
nullum majus est! neque enim quidquam habet in se hujus ma-
teriae tractatio pulchrius, dum multa lateant futura usui, quam
quod hominem Magnificentia sui detinet, nec mercede, sed Mi-
raculo colitur! Quota enim pars operis Tanti nostris oculis coin-
mittitur, et quam multa, praeter haec, quae vidimus, in secre-
tum eunt nunquam humanis oculis orientia; neque enim omnia
DEUS humanis oculis nota fecit. Multa etenim sunt, quae esse
audivimus, qualia autem sint, ignoramus! quamque multa hoc
primum cognovimus seculo! et quidem multa venientis aevi po-
pulus, ignota nobis, sciet! multa seculis tunc futuris, cum me-

A

moria

moria nostri exoleverit, reservantur! veniet tempus, quo ista,
quae nunc latent, in lucem dies extrahat et longioris aevi dili-
gentia. Rerum enim Natura sacra sua non simul tradit; initia-
tos nos credimus, in vestibulo ejus haeremus; ejus arcana non
promiscue, non omnibus patent! reducta et in interiori sacrario
clausa sunt; involuta veritas in alto latet. Si in hoc juventus so-
bria, sui Creatoris memor, incumberet(*), si hoc Majores do-
cerent, et hoc Minores addiscerent, vix tamen ad fundum veni-
retur, in quo veritas posita est, quam nunc in summa Tellure,
et levi manu quaerimus. Magni omnino res est rerum Naturae
latebras dimovere, nec contentum exteriori ejus conspectu, in-
trospicere et in divina secreta descendere! *Senec.*

Intravi itaque densas umbrosasque Naturae Silvas, hinc in-
de horrentes acutissimis et hamatis spinis, evitavi quotquot licuit
plurimas, at neminem tam esse circumspetum didici, cuius non
diligentia sibi ipse aliquando excidat, ideoque ringentium Satyro-
rum cachinnos, meisque humeris insilientium Cercopithecorum
exultationes sustinui! incessi viam, et quem dederat cursum for-
tuna peregi.

IMPE-

O JEHOVA!

Quam magnifica sunt Tua opera!
Vir insipiens non cognoscit ea,
Stultus non animadvertis ea.

David.

(*) Confer. *Worm.* *ms.* praefat. I.